

**Dissertatio tertia. De machinae humanae vitiis praecordia affligentibus ... /
praeside Elia Camerario ... submittit ... MDCCXXVI. Christoph. Frider.
Pichlerus.**

Contributors

Camerarius, Elias, 1673-1734.
Pichler, Christoph Friedrich.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Joh. Cunradi Reisii viduae, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a6ttu9g2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO TERTIA.

DE

MACHINÆ
HUMANÆ
VITIIS
PRÆCORDIA AFFLIGENTIBUS.

Quam

Divina benedicente Gratia,
Jussu Amplissimæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

ELIA CAMERARIO,
PROF. ORD. MED. & CONS.
WIRT.

PRO LICENTIA.

ac summis in Medicina honoribus consequendis
publico Eruditorum Examine submittit

D. Sept. MDCCXXVI.

CHRISTOPH. FRIDER. PICHLERUS,
Albaco Gœppengensis.

TUBINGÆ, Literis Joh. Cunradi Reiffi Viduæ.

1721

DISSEMINATIO

MAGNIFICENTIA

HUMANITATE

VITIS

PRECORDIA AFFLIGENTIBUS

Divina benedictione

Joan. Angelinus, Historiae Medicæ

TRACTATUS

ELIA CAMERARIO

PROF. ORD. MED. & CONS.

WIRT.

PRO LICENTIA

ac summe in Medicis honoribus condecoratis

publico studio et summo

AV. VIV. MEDICINA

CHRISTOPH. ERID. PICHLE

Abso. Goppegallia

TORING. In. Joh. Com. & Coll. Vitor.



L. B. S.



AD saluberrimæ artis Exercitium accessurus Academicæ vitæ hac Dissertatione valedicere constitui; neque enim seligere licuit nobiliorrem disputandi materiam quàm Affectus Præcordiorum, quorum consideratio penitior sub ipsa Præxeos initia non potest non esse tum ægrotis proficua, tum Medico apprimè necessaria. Aspiret cœptis divina Clementia.

De Affectibus præternaturalibus ad Præcordia referendis.

Tussis meritò primo consideratur loco, utpote agitatio pectoris tot aliis conjuncta malis, ac tam diversimodè affligens, ut ne quidem comprehendi unica descriptione ac tractatione queat, nisi ad solam illam quæ in tussij contingit aëris respicias explosionem. Asperæ enim arteriæ propagines innumera ramificationum varietate per omnem pulmonum vesicularem substantiam diffusæ ac dilatatæ, seu divisæ, in concava canalium suorum superficie investiuntur membrana admodum obintertextas creberrimas; nervorum fibrillas sensili, quæ ab objectis causisque plurimis irritari potest, ut propagata ad vicinos quoque nervos stimulatione

mulatione stricturæ eveniant spasmodicæ, aërem cum sono ex cavo thoracis propellentes, ita tamen ut & irritatio ista non semper incipiat in fibrillis nerveis bronchiorum, sed varias diversissimasque agnoscat origines, quoties enim externa irritant fauces aut epiglottidem, moventque thoracem ad tussendum, (de illapsis in asperam arteriam duriusculis haud dicemus, illa enim eandem in ista membrana, fatalem plerumque inducunt irritationem) lymphæ verò, vel potius serum variis tussim excitat modis, tenuitate sua ac defluxu ad rimulam epiglottidis vel ulterius, vel spissius partibusque adhærendo laceffens, vel spiculis salinis tinctum, ac ad laceffendas fibras armatum, quin & sua subinde mole ac copia & stagnatione in glandulis, tubulisque variis istas excitans explosiones; quæ pro violentiæ gradibus vel plures vel pauciores in consensum trahunt partes musculosque, quorum quippe magnus ad thoracem vel naturaliter vel præternaturaliter movendum concurrat numerus, quassatione vel concussione nonnunquam molestissimè ad omnes se extendente ventres, nunc enim irritatio fit in cavo bronchiorum minimorum, nunc in majoribus ramis, nunc in ipso asperæ arteriæ trunco, nunc circa caput illius, imò circa solam epiglottidem, ejusve viciniam, nunc vero à diaphragmate arcessendi primi stimuli ad cæteras partes communicati ac continuati, imò & à ventriculo, quin & intestinis atque in iis hærentibus stimulis, crudatum, vermium, fecum induratarum &c.

Tussis verò vel per se oritur atque affligit, vel cum aliis jungitur affectibus, cum sputo cruento, phthisi, pleuritide, asthmate &c. insignibus plane differentiis. Cum catarrhis, coryza jungitur quotidie, cum dicunt ægri defluere sibi ad fauces ac initium asperæ arteriæ irritans serum, quod omninò ita se habet (etsi non à cerebro, ut quidam arbitrantur, depluat) licet id, quod sentiunt defluere, sæpe tussim non excitet, sed id, quod ex ipsis facium glandulis extillat, ejusdem generis acre serum, imò & quod in glandulis adhuc hærendo eas facit intumescere & sic irritando vicinas partes tussim excitat.

Febribus quoque copulatur, non catarrhalibus solum, in quibus ordinarium symptoma est, sed & variolis ac morbillis, imò & reliquis tum continuis, tum intermittentibus febribus, quamquam semper in istis casibus propior ratio in varia faucium dispositione, siccitate, irritatione sese prodatur. In Hypochondriacis, hystericisque, hydropicis, iisque, qui vermes alunt in canali intestinorum, in ipso radicatur abdomine, tussi per

per consensum excitata, hinc & diaphragma nunc agit, nunc patitur in tussi, magis minusve, imò plerumque agit & patitur, eò usque, ut violentis istis constrictionibus & explosionibus nimium iteratis ad ipsum usque vomitum irritet, inque consensum trahat ventriculum; unde & augeri assumto cibo tussis solet, plurimaque incommoda alia efficiunt istæ concussiones violentæ, hæmorrhagias, urinæ ejectionem involuntariam sphinctere turbato in munere suo, laxatis peritonæi processibus hernias, foetus immaturi ejectiones. &c.

Sicca nunc est tussis sine expectoratione, nunc humida, excreto vel fero tenui, vel viscidiorè, vel penitus tenaci, imò & sanguine, pure &c. Quandoque convulsiva est, non in infantibus modo, sed & adultis; nunc præcedens, nunc concomitans, nunc secuta convulsivos motus. Raucoedo aliquando & frequenter jungitur, non tamen semper nec ordinariò, (quin & sine tussi raucoedo esse potest) raucoedo verò supponit asperitatem, siccitatem, parvulas quasi subinde fissuras in membranis organa vocis investiente. Tussis nunc magis nunc minus sonora est, ferina etiam dicta ob vehementiam explosionis, aut stimuli intensam acrimoniam, quanquam & sine hac alia possit subesse ratio stimuli; periodicè quandoque etiam affligit, etiam epidemicè, cum feбри catarrhali sæpe juncta fortiori, vel mitiori. Statum coctionis materiæ ejiciendæ sequitur ipsa expectorationis succedentis ratio, quæ crudior non potest succedere aut excerni, ægrèque rejicitur, cocta promptè succedit suo tempore; pro casuum diversitate combinatur cum catarrhis, sternutatione, alius generis strictura spasmodica, Cephalalgia, vertigine: ophthalmia, dyspnoea &c.

Omniùm ætatum morbus est, nec dixerim cum practicis scriptoribus infantes ea præcipuè corripì, cum malum adeo sit universale, præprimis, si oriatur ex tempestatis ratione ac intemperie aëris; Senes verò maximè, gravius ac diutius laborant, minus tamen molestè, modo succedat expectoratio cocto humore in glandulis aggesto, atque ad bronchiorum canaliculos deposito; infantes quidem, etsi ejicere sputum non possint, id tamen concussione tussis atque explosione aëris ad orificium asperæ arteriæ promotum ejectumque deglutiunt, per inferius dein guttur exturbandum. Cæterum tusses adeo variæ nunc noctu magis, aut manè affligunt, nunc vesperi, aut perpetuo vellicatione atque agitatione nullum tempus observantes æquè semper molestæ sunt, prout fuerint vel spasmodicæ, vel magis, ut loqui amant humorosæ, prout oriuntur

à causa interna, vel externâ transpirationem potissimum insensibilem cohibente, ventis v. g. frigidioribus atque humidioribus incautè ad corpus non benè tectum admissis, vel tum quoque corpus fortius afflantibus atque immitius afficientibus cum id ex intensiori modò prodiit hypocausti, lective calore; vel prout à talibus quoque oritur externis, quæ vel illabuntur asperæ arteriæ, vel subtiliori schemate eam ingrediuntur, uti lapicidis, cuprariis, aliisque opificibus à vaporibus, fumis, tenuibusque noxiarum rerum miasmatis contingit. Nocere dicuntur frigida, salia omnia, exasperantia, nitrosa, vitriolata, acetum, vinum, vocis exercitia, vomitoria &c. Verum neque ista sine exceptione dicuntur, cum & dentur casus, ubi vomitoria haud noceant, si à ventriculi molesta cruditate irritatio tussisque oriatur; erunt & à causa calidiore pendentes casus, in quibus nitrosa apprimè convenient, imò necessaria sint, licet enim interassumendum parum titillare valeant fauces, videanturque tussim exasperare, causam tamen æstumque sanguinis emendant, illeque stimulus transitorius brevi cessat.

Remedia in affectu tot causis adscribendo commendantur plurima; & scilicet omnia conducunt, quæ mitigant acrimoniam humorum, eam absorbent, avertunt, vias aëris lubricant, leniunt, demulcent, tonum harum partium firmant, viscidos humores attenuant, incidunt, expectorationem promovent, irritatas fibrillas nervulosque blandè afficiunt ac solantur, crudum sputum præparant, tenue incrassant, stimulos blandè sopiunt, obtundunt, quò pectoralia, absorbentia, Mucilaginosâ, bechica, pægorica, dulcia, oblinentia faciunt plurimùm; externè quoque inunctiones præcordiorum unguinis, pectoralibus profunt: His scilicet æquè ac externis spermaceti commodè jungitur. A suffitibus tamen, ac fumis, etsi ex succino, tacamahaca &c. factis, haud multum sperandum, cum lacerare frequentius soleant quàm sedare tussim.

Respirandi difficultas, tussi variè quoque innexa, magnam quoque obtinet latitudinem, gradus varios, causas diversissimas, unde & remedia poscit haud parum discrepantia. Schemata exhibet varia, ac phænomena multiformia; adest in omni casu difficultas in respirando, sed illa nunc est continua, nunc interpolata, ac periodis distincta, major minorve; cum enim in statu naturali aër libere illabatur inspirando in Pulmones dilatato thorace, eoque collabente nullo negotio aut labore commodissimè iterum & cum quadam quasi jucunditate inde elabatur le-

niter expulsus, nunc ex adverso in præternaturali statu cum labore hæc actio vitalis est conjuncta, nec perpetuum illud, dum vita durat, mobile, fornix thoracis, tot machinarum congerie constans atque animatum, sine nisu ac molestia munus suum perficit ac continuat, nunc culpa resistente in partibus impetum facientibus ipsisque spiritibus non æquabili ac naturali influentibus tenore, atque actuantibus debite musculos, nunc verò in ipso aëre scatente miasmatis noxiis, nunc autem in ipsis organo solidis respirationi dicatis, viisque haud rectè dispositis, irritatis, obstructis, pulmonibus ad expansionem ineptis, vesiculis collapsis, tono destitutis, oppletis heterogeneo corpore vel liquore, nervis vicinis contractis spasmodicè, tubulis angustatis, pressis bronchiis, obstructis, oclusis, diaphragmate male habente, hisque omnibus partibus vel immediate læsis, vel aliunde ex visceribus per consensum afflictis; hypochondriis, utero, liene, ventriculo conspirantibus. &c. Spiritus dissipati, dejecti, deficientes, ligati, nervis obstructis non ritè influentes; tumultuariè ex adverso & inæqualiter irruentes, spasmos excitantes.

Aër ad respirationem non satis aptus ac liber, infectus miasmatis, densus, nimis elasticus, nimis expandens pulmonum substantiam vesiculofam, nimiumque sua turgetcentia orgasticum reddens sanguinem; sed & ejusdem quasi absentia, excluso illo ex penitioribus, qui ipsi alias liberrimè patent, pectoris recessibus ob mucum, serum, saniem, sanguinem stagnantem &c. Paucis, omnes causæ in eo concentrantur, quod circulatio illa absolutæ necessitatis, quæ per Systema pulmonum à corde & ad cor diversosque ejus ventriculos perficitur jam non fiat libertate consueta, sed ea magis minusve per gradus innumeros impedita, enataque hinc molestia atque anxietate majori minorive, ab exigua spirandi difficultate usque ad summam anhelitus angustiam ac periculum suffocationis, quò omnes illæ causæ conspirant, nec alium nisi hunc efficiunt in pulmonibus ultimato ac primario errorem, sed eò graviolem, quò propiores vitæ ipsi struit insidias.

Urget verò dyspnoea vel quiescentes, vel se moventes solùm, vel tantum per acclivia ascendentes, vel modis omnibus inæquali gradu, cujus exempla in gibbosis, senibus, pinguiori corporis habitu, phthisicis, chloroticis cacochynicis variis videmus. Cæterum dyspnoea, asthma, tandemque, orthopnoea gradus constituunt respirationis difficilis. Sub quibus vicissitudinibus variè patitur pulsus, pro diversa transitus sanguinei per cor libertate, atque alacritate.

Cæterum *Asthmata* quæ graviolem afflictionem periodica sunt, etſi quoque in intervallis dyſpnoea ægros non omninò relinquat liberos, chronicum plerumque malum & per paroxyſmos invadens atque affligens, corpora potiffimum cacochymica, & cachectica, hinc & hydropem præcedit, & comitatur ſumma cum moleſtia; proque graduum in paroxyſmis varietate moleſtus ob dyſpnoeam decubitus, anxietas, reperiſti aëris captatio anxia, ac laborioſa thoracis in anhelofis motibus reciprocatio, per horas etiam, vel earum ſaltem partem durans, noctu potiffimum, ſed tamen etiam interdium affligit, cum vel ſine tuſſi, ac ſcreatu. Eſt enim ſæpiſſimè quoque malum illud convulſivum ac ſpaſmodicum, conſtricto non ſine anxietate thorace, ejuſque dolore gravativo, interdum tenſivo, atque expansivo, prout flatulentum quoque in aliis caſibus aſthma eſt; juncta & ſubinde cardialgia, eaque ſpaſmodica, ob viciniam & conſenſum harum partium; non rarò ad orthopnœam aſurgente malo, ut erecta cervice non ſine ſibilo ſpirare ægri queant, in triſtibus illis intervallis. Ex utero etiam frequenter oritur aſthma, variæque reſpirationis moleſtiæ ac labores ad ſuffocationem uſque hystericas, ac combinationes maximè varias ſpaſmodicas; eodemque jure affectui hypochondriaco adſcribitur tanquam frequens ſymptoma. Imò & continuis, aliisque febribus jungitur, ante eruptionem variolarum ac morbillorum cumprimis moleſtum malum: magis verò periculofum ſub exanthematum & puſtularum reſſu vel retro pulſione, ſive ea fiat ab externi aëris allapſu, ſivè ab interna cauſa; unde & à ſcabiè retro pulſa, vel intempeſtive unguentis ſulphureis coercita ſuſcitatur; in arthriticis malis ad interiora reſſis, aliisque affectibus gravibus, ubi *μελάγχρωσις* fit ad pectus vel humorum vel ſaltem ſpaſmorum. Quibusdam per paroxyſmos ſuſpirantibus anxie, aliis conſtanter ac continuò laborantibus; imò verò hoc non eſt ægrota-re ſed animam agere.

Quod in *Catarrho* maximè *ſuffocativo*, ſupremo horum affectuum gradu conſpicuum eſt, extrema quæque præſentiffimo discrimine minante, ac ſubitò cohibente tranſitum ſanguinis per pulmones ac cor, quod malum maximè eſt acutum ac citò interemit eos, quos penitus aggreditur. Neque tamen ſtatim in omnibus caſibus accuſandus catarrhus ſuffocativus ubi ægrorum reſpiratio difficillima fit, e. g. in pleuritide, empyemate, angina, &c. morborum enim plurium triſtis ille ac plenus anxietatis exitus eſt.

Quædam asthmata levantur à sputo ejecto, quale in aliis non succedit, sæpe enim libera sunt bronchia ac canales asperæ arteriæ, cum spasmi vel flatus efficiant angustias, aut alia sanguinis circulantis impedimenta atque aggestiones. Morbis his defunctorum cadavera varia exhibuerunt inquirentibus, pulmones variè læsos, inflammatos, sero perfusos, viscido mucò oppletos, maculis variis fœdatos, tumentes, tophaceis concrecionibus passim infectos, aridiores, adnatos costis (quod tamen & in iis repertum qui asthmatici nunquam fuerunt) in cavo thoracis serum stagnans post hydropem pectoris, vel saniem ac pus, aut extravasatum sanguinem. Remotæ mali causæ plurimæ allegari possunt, cibi maximè viscidii, lenti, flatulenti, seu multum aëris factitii de se emittentes in intestinis ac ventriculo, distinguendum tamen inter ea quæ remotè conferunt ad generandos pravos succos, atque ea quæ propius efficiunt angustias flatus cumulando, vel spasmos procurando, quò referunt quoque fungos, legumina nimia assumpta, aut noxia vegetabilia. Quò & spectant noxiæ fumi minerales, carbonum, sulphuris, plumbei halitus, mercuriales atque arsenicales &c, multi fermentantis, cujus citissima operatio impressioque est in corpora vel momento talem aërem turgidum subeuntia in cellis largiore musto abundantibus.

Proficua autem sunt præter venæsectiones, scarificationes, inunctiones pectorales congruas, pro causarum diversitate, incidentia, pectoralia, resolventia, discutientia, bechica penetrantiora, carminativa, nervina, expectorantia. Volatilia caute danda, nec in calida causa. Sperma Ceti, ammoniacum gummi præstant balsamis illis sulphuris calidioribus; sudorifera subinde mitia, ac diuretica conveniunt; purgantia cautè danda, & ferè mitiora, quod & monendum de Emeticis, non omni in casu approbandis, magisque cum in ventriculi cruditate malum fundatur, quam pulmonibus affectis. Si verò ullibi varia est medendi ratio, quæ asthmata ac dyspnoeas id obtinebit, cum adeò inter se discrepent malorum istorum species, ut quodvis quasi individuum alia velit ratione curari, si circumspicte Medicus atque ex veris artis suæ præceptis velit agere.

Deliquium, Lipothymia, Syncope, Asphyxia diversos ejusdem affectus gradus, speciesque constituunt, in quo subito prosternuntur vires, collapsò ægro quasi mortuo ac penitus flaccescente. Idque vel planè ex improvìso ac momentaneè, vel præcedente in aliis vitio visus, cui varii offeruntur colo-

ies, virides, flavi, aliique, quin & tenebræ oculis obversantur, ac caligo subitanea, tinnientibus auribus, languente corpore ac singulis subito membris, genibus non amplius facientibus firmiter ut prius officium, fluctuatio in capite, vertigo subinde, imò & aliàs quasi imminens somnus, respiratio cum suspiriis imminuta ingruit, pallefcit cadaverosa facies, pulsus fit debilis, inordinatus, evanescit sub digitis, titubat, &c. mador quoque cutim frigidus quandoque obducit. Magis quidem evenire solet erecto corpori, neque tamen decumbentes immunes sunt censendi à Lipothymia.

Si verò talia sensibilia indicia non antecedunt, tamen in momentaneè correptis omnia cumulantur subito, sensus & motus deficit mox, vox desinit, vacillat corpus, ac flaccescens corrui, mortui in modum se jaccendo exhibens, membris scilicet non rigidis, aut convulsis, aut convulsive ac spasmodicè motis atque agitatis, sed flaccescentibus, extremis frigentibus, tum in artubus, tum in naso, auribus, labiis, cum madore frontis ac pectoris syncoptico, tremulus est pulsus, imò plane cessat ad sensum, sufflaminata respiratione. Causæ propinquæ occasionales sunt innumeræ, (talìa enim deliquia superveniunt virium variis exhaustionibus, per sudores immoderatos, hæmorrhagias largissimas) balnea justo calidiora, diarrhoeæ vehementes, ingentes ac diuturni dolores, graves animi intimæque commotiones, maximè in terrore, moerore, atque ira cum tristitia, nausea, hysterica dispositiones, vermium præsentia ac rosiones, idiosyncrasia variæ ac antipathia, atque impressiones, visu horrenda varia ac nauseabunda, venæsectio in multis vel dum fluit sanguis, vel dum jam facta est vulnuscule obligatio, morbi plurimi, pustularum atque exanthematum ad interiora regressus ac evanescencia, scabiei infausa siccatio. Et quis recenseat omnia; cum & iis eveniat, in quibus occasio tam specialis allegari non potest, maximè hypochondriacis, meticulosis, imò robustis quandoque, causa haud comparente; nunc breviori, nunc longiori paroxysmo, si maximè ad gradum supremum asphyxias devenerit malum, unde accidit passim, ut diu ita jacentes pro mortuis fuerint habiti atque ad sepulturam vel sepositi, vel promoti. Cum ad se, sive sensuum motusque usum redeunt, actorum circa se & in se haud recordantur, quasi è profundo expergefacti somno, aliquandiu lassii, quidam verò mox alacres ac plenè restituti ac si nunquam ægrotassent. Ætatis vero cujuscunque ac sexus homines corripiuntur deliquiis frequenter, uno tamen

præ alio eò facilius inclinante; dantur enim qui levi occasione imò imaginatione inani promptissimi sunt ad deliquia patienda. Sunt & qui gradu mali eminentiori moriantur ad se non redeuntēs, spiritibus quippe omninò dissipatis sive sufflaminato, absque recurſu, cordis ac sanguinis motu, unde apoplectico tactos eſſe insultu tales sine ratione ſufficienti iudicatur. In tam ſubitanis autem mortibus polypi non rarò vel in thalamis cordis, vel in vicinia vaſorumque majoribus ramis, vel utrinque protenſi ſunt reperti.

Cauſa eſt quærenda in circulatione ſanguinis ſubitò ſublata, vel in mitiori caſu graviffimè impedita circa cor, fibris ejus quaſi quieſcentibus. Differt enim ab Apoplexia hic ſtatus, nec obſtructum eſt principium nervorum, aut interceptus ſpirituum ex eo influxus in reliquum corpus; ſed actio ſaltem cordis, regularis illa ac conſtantiffima reciprocatio vitalis antiæ ſuspenditur, vel plenè, vel remiffius ſaltem ac minus plenè; hinc dicitur ſolutio vinculorum vitalium ſyncope, cum vigor omnis ceſſet, ac quidem tam ſubitò ceſſet, ſive cauſa motus cordis æquabiles impediens hæreat circa cor ipſum, ſive agat per conſenſum affixa magis ventriculi orificio, utero, hypochondriis, vel ubicunq; lateat, quod in ipſis quandoque ſpiritibus quæras, quanquam in ſuis canalibus fluentibus, quod animi paſſiones teſtantur, non rarò infelices mali authores, conſuſi enim, diſſipati, proſtrati ſubitò ſpiritus cor immobile relinquunt, imò & tendere poſſunt ſpaſmodicè, quod & ipſi non rarò forſan efficiant ſtatus tendentes fibras ultra modum; quanquam & ſubitò occludi meatus circa cor à polypo queant, à grumo tanguinis, aut concreſcente pituita, &c. imò ipſa ſanguinis maſſa gelatineſcens, lymphæ parcior diluta, ac coiens facilè in conſiſtentiam cui promovendæ cordis fibræ minus pares ſint; quod & alii in viſcido laticis vitalis ſtatu ab acido derivaverint.

Inter remedia omnis generis excitantia commendantur & applicantur, extremorum frictiones, variorum liquorum aſperſiones, ſpirituoforum inunctiones, imò & factæ in os inſtillationes, aſperſa frigida, acetum, oleoſa volatilia, balſamaque naribus admota, caſtoreum, aceta, fœtida, combuſta, plumæ, coria, acclamationes, corporis concuſſiones, in plantis pedum inſtitutæ titillationes ac frictiones, internè quoque cum iterum aliquid deglutiunt, varia, ac dein varia cauſæ opponenda, nervina, confortantia, roborantia, cordialia, præſervativa, in intervallis enim potius agendum eſt contra ſubdolum malum, quàm in ipſo accèſſu, quosdam enim & periodicè, utut incertis periodis invadit.

Palpitatio cordis, frequens malum, non eadem tamen origine ortum, variique gradus ac gravitatis esse solet, neque eadem omnibus ἀκριβείῃ describitur, est enim motus cordis depravatus, sed non uniformi unico-ve modo, hinc descriptiones observare licet tam differentes, dum alii tremorem vocant, alii pulsationem, & inconcinnam inter ipsam systolen & intermediam quietem reciprocationem, ita quidem, ut partim pulset cor ordinario modo, partim admisceatur depravatio quædam illius motus, imò & interpolatio, nunc citius vibrante pulsu, nunc tardius. Confundendus verò cum intercurrente pulsu non est hic motus palpitatorius, multo minus cum intermittente, qui alius indolis est. Et si clariorem velis ideam palpitationis mente concipere, eam modò palpitationem attentius considera, manibusque admotis palpa, ac persentisce, imò scrutare penitius, quæ continget statim, si celerius per acclivia scalasque ascendere nitaris, pulsabit cor ad tactum manifestè ac palpitabit, fortiusque percutiet manum, uti in palpitatione ab internis enata causis, nec potest aliter fieri quam ut dilatato magis ab irritato latice vitali seu violentius irruente illo, corde, ejus constrictio majori nisu minusque æquabiliter succedat, in simplici tamen palpitatione intermissio pulsus non contingit, quæ potius in graviore malo ac complicato cum polytis, induratione ac ossificatione vasorum, ac eorum aneurysmate &c. sese simul offert tangendam cum palpitatione; Hinc ad eam sæpe ferociam videmus progredi malum, ut vel è longinquo audiri queat, repel- latque fortiter manum pectori admotam, ut non dicam de casibus ab auth. allegatis, costarum vñ ista diuturna effractarum &c.

Et licet ille cordis pulsus non ea ratione feriat digitum admotum arteriæ uti pulsus febrilis, nec præcisè frequentia sit notabilis, tamen fortior est, majori conatu cordis parietes stringuntur, obstaculo se ingerente, adeò ut & colli arteriæ pulsationes suas eò usque à corde continuatas occultare nequeant. Unde non ausim dicere in palpitatione cordis nunc ipsum quassari cor ejusque parietes depravatè stringi, nunc verò auriculas cordis eas quassationes vel pati vel efficere, harum enim vix ea videtur esse vis, quæ tantas valeat efficere pulsationes; neque enim adest tum alius motus, salvo cordis motu, inter illum intercurrentis, quod videtur aliquibus, sed ipse cordis motus depravatur, nec systole, nec diastole robore æquabili, tensione consueta, ac ritmo conveniente succedunt propter stimulum vel obstaculum qualecunque æquabilitatem consuetam impedi-
pediente,

pediente, & conatus majores spiritibus irritatis ac violentius appellentibus in musculos cordis excitante ac provocante. Hinc tremuli enascuntur motus, fibris haud æqualiter tensis constrictisque, & inæqualiter à sanguine obstante vel alio objecto gravatis, maximè cum pulsus est intermittens simul, quod palpitationi per se proprium non est, sed potius ut supra dictum graviora circa cor polypi, aut aneurysmatis aortæ vitia supponit, ubi inæqualis, intermittensque pulsus oritur varietate mira, nec satis discernenda semper à tangente digito. Ob remoram enim in corde vel circa cor antlia hæc vitalis non potest non tremere, & constringi violentius, fibris irritatis, etsi sæpe ex solo sanguine organico, vel turgente ac cor quasi obruente, ac spissescente paulisper malum tale oriatur. Scilicet cor naturaliter æquabili motione admittit sanguinem, exprimitque, cum & ille ipsi affundatur æquabili dosi, consistentia, ac robore, quæ si inæqualia fiant, si irritati spiritus fortius inflent fibras, si illæ à sanguine aggesto, imò & flatibus fortius tendantur, non possunt non oriri palpitationes hoc est contractiones cordis minus æquales, violentiores, sanguine magis feriente latera arteriarum; magna tamen graduum varietate. Hinc & plurimæ recensentur causæ occasionales, motus corporis nimii, nimia pectoris commotio per cantus, vociferationes, ac fortiolem loquelam, vini, ac spiritus vini abusus, ab exercitiis violentis, balneis nimis calidis, cibus flatulentis, vaporibus noxiis, animi affectibus, metu maximè oritur; hypochondriaci, hystericae, chloroticae, subsunt huic malo præ aliis, quique ventriculo atonia laborante ac cruditatibus scatente gaudent. Quosdam per paroxysmos affligit, quosdam continuò magis, pro fixitate causæ; diuturnum sæpe malum atque ad ipsum durans senium, nec enim semper periculosum est, maximè in iis quorum facile bulliens sanguis cor sæpè leviter palpitare facit. Si continuus, gravisque ac multa cum inæqualitate incumbat affectus, graviora ac fixa circa ea mala ostendit. Multi sine virium deperditione subsunt huic malo, maximè flatulenti, seu quibus palpitatio à flatibus gignitur, & tum ructus, cardialgia quoque & similia signa flatuum consueta percipiuntur, rarius tamen ex hypochondrio ad cor ascendere aura dicitur ab ægris ante palpitationem, quod tamen libri practici allegant; In gradu vehementiori anxietates junguntur, & respirationis difficultates. Sunt & casus in quibus lipothymia supervenit vehementi palpitationi, vermes quoque plurimum quandoque contribuunt. Chlorosis solennis mali genitrix ac perpetua; nephriticum quoque malum,

hæmorrhagiæ, sed & suppressæ evacuationes consuetæ inter causas referendæ sunt.

In cadaverum sectionibus reperta sunt varia, vermes, calculi, excrementiæ variæ, variæ consistentiæ, duriores tamen omnes, imò osseæ, & quasi cartilagineæ, vasorum indurationes, polypi, aneurysmata, quò Caroli Patini Sectio pertinet atque elegans Knipsmacopii consilium. &c. Venæsectio sæpe succurrit, ubi causa radicatur in plethora, aut orgasmo sanguinis; cæterum externa varia ac epithemata, & interna cordialia, ac cuique opposita causæ remedia conducunt, nervina, carminativa, discutientia, temperantia, nitrosa, absorbentia, resolventia, incidentia, diaphoretica, diuretica, ipsa quoque laxantia, emmenagoga, anticachectica, antiscorbutica, martialia, theriacalia; etsi in applicatione tempestiva ac speciali non exigua requiratur Medici ea administrantis prudentia in tanta causarum ac circumstantiarum varietate.

Pleuritis febrim continuam, eamque subinde satis malignam habet conjunctam, si vera sit & exquisita nunquam absque febre deprehendenda; quæ & plerumque initio se horrore ac frigore manifestat, quod uti in continuis fieri amat haud æquè vel intensum vel diuturnum est, commutandum mox cum præternaturali ac satis intenso calore, qui deinceps haud amplius remittit usque ad ipsum morbi decrementum, febre ad finem usque continua decurrente. Adest plerumque simul ac sub eadem morbi initia punctorius lateris dolor, nunc hujus nunc illius, nunc inferiori loco sub spuriis magis costis, nunc superiori atque altiore, parte magis antica nunc, nunc verò dorsum versus protenso dolore acuto, ac molesto ad quasvis respirationum reciprocationes, atque adhuc magis ad tussis frequentes commotiones, quæ simul graviter urget, quamque ob hos dolores conantur impedire ac cohibere, malè tamen, cum præstet pati puncturas graviores, quam impedire unà cum tussi repressa expectorationem, cum tota salus pleuriticorum ac spes in promotione sputi atque expectorationis consistat; neque verò saltem dolorem infert respiratio, sed & difficultatem habet conjunctam ob circulationis per pulmones sub ista sanguinis aggestione obstacula; tussis initio siccior est, dein coctâ materia, melius succedit, in principiis cruentum est sputum magis vel minus, sæpè enim stricæ saltem sputo cruentæ admixtæ sunt, rarius tamen vera pleuritis fuerit sine cruento sputo, quod promovendum, quanquam facilius dehinc mutato colore succedat, suppuratione feliciter succedente aut coctione;

ex sputo enim ejusque successu judicamus morbum, quod si citius esse crudum desinat, coctumque exspuatur, ac in morbo hoc acutiore vel quarto die vel brevi post compareat purulentum spem facit morbi faventi naturæ modo decurrentis. Pulsus celer ac frequens est, nonnunquam & ob sanguinis turbas ac admixtam purulentiam intermittere visus. Dolor plerumque manet eodem in loco fixus in vera pleuritide (in spuria enim facilius mutat locum) uno crebrius latere quam utroque affecto; non eadem semper mali gravitas, ac malignitas tum ratione febris tum ratione abscessus est, hinc & symptomata non eodem obtingunt gradu, sitis, vigiliæ, anxietates, deliria subinde, alvi & adstrictio nimia, & nimia solutio variè accedunt. Hyeme, autumno, ac verè non infrequens est malum, uni tamen regioni præ alia magis familiare, in multis frequenter epidemium, ut mirer scribere practicos passim, pleuritidem rarius epidemiam esse; maximè frigus ac transpiratio subitò cohibita ad malum hoc conferunt; conferunt quoque in eudendo illo errores diætæ, crapula, frigidi ac largi haustus, ingesti maximè corpore fervente, catarrhi, obstructi menses, ac hæmorrhoides, cohibiti sudores ac retropulsi.

Aggestus scilicet ad lateris dolentis pleuram, ejusque & quæ pulmones & quæ exteriora viciniam, sanguis deponit ibi ejectas ex turbata sua mixtione acres ac impuras quasi portiones, quæ stimulum constituunt, ac tendendo fibras dolorem illum sub inflammatione punctorium atque acutum inferunt, contingente huc impetuosiore ob spinam hanc infixam confluxu, atque abscessu tandem abeunte in suppurationem congesta materia, successiva absterfione, resorptioneque in vascula ac dehinc ejectione in bronchiorum furculos ejicienda per asperam arteriam, quod antequam fiat sanguinolenta primum atque cruda succedunt sputa, majori quoque dolore comitata. Si verò ista in saniam conversio non succedat, neque promoveatur promptè suppuratio, atque ejectio, continua quasi corrupti illius humidi stagnantis per expectorationem, illud sanè vel evadit nimis viscidum ac tenax angustiis inhærens, easque obturans, respirandi proin difficultatem augens, unà cum circulationis massæ sanguineæ per pulmones impedimento hinc reddito majori, ut extrema sæpe ipsa suffocatio imminet imò sequatur, in aliis casibus non succedente per tracheam ejectione optata acrior ac corrosiva quasi sanies aggeribus ruptis cavo pectoris se alveo pleno insinuat, eaque opplens empyema constituit, malum periculosum.

Allegant Authores meritò magnam circa hos affinesque morbos varietatem, cum frequentissimi observentur lateris dolores sine pleuritide vera, quæ & ipsa insigniter in circumstantiis suis ac Symptomatibus variare solet; quin & possunt in iisdem præcordiorum regionibus fieri ulcera non pleuritica; ac denique non una observatur species spurix dictæ pleuritidis, qualis aliquando vocatur remissior quædam pleuritis, cum minori ac tali inflammatione conjuncta, quæ discuti adhuc queat sine sequente abscessu, ac proin nec cruentum ejiciat sputum, febre quoque existente mitiore, ac minus afflictâ respiratione. Sed & tales lateris dolores punctorii, ac spurix pleuritides oriuntur à congestionibus sanguinis sine formata inflammatione, re saltem manente in molestis fibrarum nervearum tensionibus, indeque natis puncturis; Imò & flatulentam tales puncturæ originem non rarò habent; cum & huc sæpe ob loci viciniam referantur, quæ ad cardialgiam aut hypochondrii dolorem sint referenda, vel ibi saltem habeant radicem, consensu nervorum latius dolorem, sæpe ad scapulas usque extendente ac transferente. Quo ipso patet aliam planè rationem esse veræ ac spurix pleuritidis, non quidem, quod in una pleura in altera intercostales muscoli afficiantur, sed quod in spuria inflammatio atque abscessus cum suppuratione haud contingat, nec circulatio sanguinis tam gravia patiatur impedimenta. Flatus verò si causæ obeant vices, suo se elatere distendente manifestant; Varios terminandi modos, temporaque diversa habet pleuritis, septimo sæpe, nonove die, alias verò & duodecimo, imò decimo quinto non plenè terminata, prout scil. gravius, leviusve fuerit affecta pars abscessum patiens, ipsa febris decurrerit uniformius, vel cum suspectis symptomatibus; solvitur per tussim indeque promotam expectorationem, licet nec desint exempla excreti per urinam puris, sed rariora, uti & diarrhoæ criticæ sunt observatæ, licet non desint exempla quoque diarrhoearum symptomaticarum. In cadaverum sectionibus observata dicuntur exterius livor singularis affecti lateris, interius verò affecta suppurataque nunc pleura sola, nunc vicinus quoque simul pulmonis lobus, pure nunc largiore nunc parciore ibi stagnante.

Venæsectio mox in principio instituenda est, aut primo saltem triduo, eductus sanguis ordinario in pleuritidè vera obducitur crusta albicante, crassa, viscida, subinde & viridescente ac flavescente, magis vel minus tenaci pro ægri constitutione ac malitia morbi. Cæterum conveniunt

bezoardica, diaphoretica blanda, pectoralia, excreationem promoventia, incidentia, aperientia, bechica, spec. pro dec. pectorali, pulveres bezoardico-pectorales, sperma Ceti, eclegmata varia &c. Unguenta pectoralia exterius multum profunt. Anodyna quibusdam dosi non magna commendata nunquam tuta vel proficua deprehendimus, præstat ferre dolorem, ac procurare expectorationem, quam intentum esse sedando intempestivè dolori. Nec acidula salina ab aliis commendata suademus, præstant eclegmata pectoralia cum decoctis, mille nobis exemplis commendatissima. In spuria pro causarum varietate addenda nervina, carminativa, discutientia, absorbentia, paregorica, interna & externa.

Peripneumonia prout communiter ab Authoribus describitur non tam frequens est ac pleuritis, fatenturque medici scriptores, inter se sæpe confundij, ac credent forsan aliqui, nimis sollicitè distingui affines planè affectus. Allegant tamen varias differentias; Calorem in peripneumonia post horripilationem esse inæqualem, exterius remissiolem, interius exurentem; Respirationem vix aliam ac in pleuritide possunt describere, nisi quod ferè difficiliorum dicant, ac potissimum addant, dolorem in peripneumonia vel nullum esse, vel si quidem is adfuerit in principio, esse tamen leviolem, magis gravativum, iterumque disparentem, periculo tamen potius graviore; adesse simul vultus ruborem, internæ inflammationis signum, linguam esse asperam, inflatum collum, sitim urgere ac vigilias ut in pleuritide, sed saltim substantiam pulmonum inflammari, non pleuram, hinc dolorem abesse acutum; hinc & id observatum ajunt in cadaveribus, solo pulmone abscessum fuisse conclusum; transire verò etiam in Empyema subinde grave hoc malum; paucis pleuritis ferè est ad *anipnè* suam salutarem ac dolorificam haud perducta plenè, sed subdola, namque vera pleuritis, quæque per dolorificas suas puncturas atque expectorationes molestas transit, si ritè tractetur, finem plerumque nanciscitur salutarem; unde nec plura de peripneumonia eadem remedia requirente addimus.

Empyema potissimum judicatum malè pleuritidem excipit, pure non per excreationem, uti par erat, ejecto, sed ad cavitatem thoracis effuso, quamvis & generaliter accipiatur pro omni collectione puris aut saniei in cavo pectoris, sive illa à vulnere, sive à pleuritide, aut vomica, aut peripneumonia, aliisque abscessuum generibus oriatur.

Malum eò gravius atque intolerabilius est, quod pus effusum eum

occupet locum, in quem inflati respirando pulmones expandi ac se recipere debent, unde loco illo sic aliter occupato, eorum expansio impeditur, eoque ipso gravem circulationi obicem ponendo, respiratio gravissimè læditur, unde sane minatur ex eo capite suffocationem, non verò quod pulmones illud pus tanquam spongia imbibant. Etsi nolimus negare, posse simul & in cavum thoracis, & in bronchia ejici ac transferri pus quandoque; plerumque tamen sicca tum est tussis, pure extrorsum magis quam ad bronchia delato, si enim succedat expectoratio, rarò empyema orietur; febrilia symptomata omninò junguntur, ac continuantur in isto statu, dolor in latere obtusus, magis quandoque gravativus, latere & nonnihil intumescente pure extrorsum urgente pectorales musculos & integumenta lateris scil. affecti; cui adhuc facilius incumbunt, quam rarò ferant decubitus, erecti anhelantes.

Prout scilicet magis vel minus oppletur cavitas pectoris, pulmone vel aliquo vel nullo relicto ibi pro expansione sua spatium, quo sanè in casu nisi paracenthesis brevi fiat, de ægro actum est; nec una educatione extrahitur pus omne, sed iteratis vicibus. Habentque dein Medicus atque Chirurgus quod agant, cum rarò statim iterum pure educto vulnus coalescat, sed diu maneat plerumque apertum, ac fistulosum quasi ulcus representet, etsi & quandoque benè curentur; Cæterum etsi in sola puris educatione fit salus, juvant tamen suamque conferunt opellam pectoralia, antipleuritica, absterforia, vulneraria, resolventia, temperantia, mucilaginosà. De loco apertionis consulendi chirurgi, eligant locum magis inferiorem ad puris faciliorem egressum, circa 3. & 4. vel 4. & 5. costam ab infra sursum numerando; quidam in anterioribus aperiunt, quidam magis versus dorsum.

Hæmoptysis, frequens malum ac grave, non omne notat sputum cruentum, cum tale quoque ex sanguine è gingivis expresso, vel alveolis dentium, aliisque oris partibus tingi queat, sed sputum cruentum cum tussi rejectum, cruore cum tussi ex trachea sursum lato, ac rejecto. Sæpe enim frustra terrorem concipiunt hypochondriaci, cum sputo suo vident admixtum aliquid cruoris, cum primis si eo tempore quoque tussiant, credentes se vera hæmoptysi laborare, cum tamen id quicquid est cruentum ex naribus ad fauces tum descendat, probè igitur attendendum est ad modum tussendi atque ejiciendi sanguinem, ut certus fias.

Unde & à vomitu cruento penitus differt hoc malum, alia enim est

est excernendi ratio in vomitu, alia in tussi, ubi alia conatum ratio est facile distinguenda; quemadmodum & cruentum illud quod sugendo, screando, exspuendo saltem ejicitur facile agnosci potest, quod ex inferioribus per tracheam cum tussi non ascendat, quando autem dicunt practici, excerni sanguinem spumofum, floridum, recentem, id de eo intelligendum, quod à potiori fit, dantur enim & casus, in quibus sputum saltem habet admixtum cruorem, vel etiam ejicitur nigricans cruor ac grumescens, cum tussi tamen & ex trachea, quia ibi moram traxit; sæpissimè tamen spumeus & floridissimus ejicitur; Eadem ratione intelligendum est quod dicunt, nullum adesse dolorem, dantur enim & casus, in quibus punctorius infestet dolor, etsi sine pleuritide, febris quoque regulariter non jungitur, sæpius tamen quoque accedit dispositio febrilis; Juvenes potissimum affligit hoc malum, etsi nulla ætas excipiatur; fœminæ obstructis mensibus non infrequenter, minori etiam quam viri tum periculo hoc corripiuntur.

Respiratio nunc magis nunc minus redditur difficilis; sanguis quandoque satis parcè prodit non sine conatu tussiendi majore, aliquando levissimum sequitur nisum tussis, aliquando autem, cum impetuosius ex vasculis in bronchia effunditur pleno regurgitans alveo, sua quasi sponte erumpit vix tussis indigens nisi leviusculo adjumento, ac tum maximè floridus, ac spumofus esse solet; quandoque statim rediturus in motum si decumbat æger, cessans facilius erecto corpore.

Varii errores diætæ ansam malo præbent, generosi potus, eorumque abusus, calida medicamenta ac aromatica, animi vehementes motus, corporis maximè agitationes ac torsiones, & conatus violenti; clamores, casus, ictus, contusiones; vomitorii quoque vehementia inter operandum rumpi vascula queunt; oppressæ hæmorrhoides ansam quoque præbent; & nonnunquam intempestivè data aloëtica; Cum sinistro hypochondrio nexum habet hoc malum, hinc & ibi quoque dolores aliquando simul sentiuntur. Facilimè redit malum, patefacta semel ipsi infausta hac via; aëris quoque dispositione multum contribuente. Sæpissimè tamen à principio interno oritur hæc effusio sanguinis ad bronchia, cum scilicet sanguis orgasticus nimisque rarefactus turgida vascula nimium distendens ea perrumpit, ubi sane non præcisè aperiuntur vasorum oscula, quæ in bronchia non hiant, nec potest per rarefactas membranas vascula constituentes transludare sanguis, sed vascula vel rumpuntur ab aggesto, ac

turgente sanguine, vel ab acris humoribus eroduntur, aut ad minimum teneriora ac infirmiora redduntur, ut facilius rumpantur ab orgasmo sanguinis, qui in canaliculos bronchiorum extillans eorum irritat vividè membranam succingentem indeque excitat tussim non quiescentem, donec iste cum aëre sanguis fuerit explosus, elatusque ad oris confinia, sub quo impetu nova procuratur plerumque sanguinis copiosioris eadem via egressio, collectio, propulsioque tussi continuata; ejicitur verò vel omne quod excretum est, vel magno ægri malo aliquid relinquitur, hæretque in vesiculis, facilè dehinc putrescens, ac in consortium triste pulmones trahendo phthisin efficiens. Unde aliquando quidem perfectè tollitur morbus, aliquando frequenter rediens ad plures durat annos, vel ut dictum in ulcus pulmonum desinit, quod vix licet declinare tandem in recurrente sæpius malo; unde diætæ exactissima, regimenque sollicitum, quæ sex res nonnaturales, & cura Medici singularis ac specialissima prudentissimaque hic requiritur.

Neque enim sufficit crudè & absolutè adstringere, combinanda sunt prudenter remedia, orgasmum sedantia, sanguinem demulcentia, diluentia, temperantia, traumatica, tutò adstringentia, vulneraria, mitius abstergentia, pectoralia, & expectorantia lenissima, ne reliquiæ sanguinis extravasati infausto omine relinquuntur hæreantque in pulmonum vesiculis ac penetralibus. Opiata cautissimè danda, ac magis paregorica. Tincturæ adstringentes spirituosæ non adedò tutæ, nec antiphthisica Garmanni adedò commendabilis; Balsamum Dippelianum commendant alii, alii reformidant. Venæsectio in pede planè est necessaria mox sine mora administranda imò & iteranda, etiam præservativè suppetias latura. Quies, silentium, cibi evpepti, parci, abstinentia totalis à vino, omnique liquore calido, cibusque similibus, atque à violentis animi affectibus summè requiruntur.

Phthisis hæmoptysi eò rectius subjungitur in tractatione nostra affectuum pectoris, cum toties ab illo ortum habeat funestum, ab aliis tamen quoque causis frequenter oriunda. In principio sæpe haud statim dignoscenda, nisi à Medico perito, cum lenta illa febris primò occulto serpat modo, quæ postmodum satis fit manifesta, cum antea pro tertianæ specie quibusdam haberi queat, aut anomala alia febris, cum vesperi potissimum post leves exastuet rigores, vel saltem post meridiem. Ratione absorptionis carniū tabis quoque species est, quæ non hanc semper agnoscit causam,

causam, ulcus scilicet pulmonum, sed & sine ulcere per modum febris lentæ tabificæ potest exardescere. Hæctica autem consumptio febrim cum ulcere supponit conjunctam, & ab illo pendentem, ita ut nunc vitium pectoris ulcusque se tussi sputoque purulento prius exerat, nunc febris ante talia manifesta indicia diutius corpus in occulto depascatur. Frequentia pulsus, calor singularis, non ardens visus, satis tamen in recessu fervens, à pastu maximè, in facie se prodens fallaci ac suspecto rubore, cum illa alias satis palleat, liveatque, volasque potissimum manuum adurens, & ad tactum quoque sistens ferventiores. Sudores noctu, post medium scilicet ejus se diffundentes insigniter sunt molesti corpusculoque exhausto jam graves, tussis urget & fatigat sæpe ultra modum, vesperi maximè ac noctu, nunquam tamen eos derelinquens penitus, in principio sicca, remediis non cedens, novo semper stimulo excitata; fit dein humidior, ejiciturque pus sat sæpe copiosum, cum ramentis aliquando, & subinde sanguineis striis, ac quandoque tophacea quadam materia; neque verò confundendum est cum sputo quovis viscido, ac phlegmate pituitoso pus proprie ita dictum & ulceri proprium, quod in aqua fundum petere solet, colore quoque magis flavescens quandoque obscurius, viridiusculum quoque & quasi cinerei coloris, sordidumque; fœtidum in graviore malo ac putredine increcente, uti & halitus foetorem de se spargit, putridis miasmatibus inficientibus aërem expiratione expulsum; nec gratum spargit odorem sudor quoque phthisicorum. Dyspnoea non potest non jungi affectis tam graviter pulmonibus, nec jam plenè expansis inspirando, hinc à quovis motu & respiratio & pulsus fit citatior. Ordinatio autem sanguis non admiscetur puri, sed magis ejicitur in principio dum cruentum sputum viam quasi ad gravius malum sternit, & in malo graviore vasculis jam teneris & ruptu facilibus.

Dolorem non patiuntur insignem, licet & sint quidam, qui in dorso ac sub spuris costis, puncturas patiuntur, maximè obnoxii hæmorrhoidibus; ipsaque tussis ferocia non sine dolore afficit præcordia ac fatigat, laceratque quasi ac divellere quandoque videtur, omnino raucedo quibusdam supervenit, erosione acris materiæ viis istis aëris inducente fissuras parvulas & scabritiem. Carnes penitus absumuntur, etsi appetitus satis maneat integer, nullo amplius chylo bono vel facto, vel sanguini & nutritioni proficuo atque apto; sudoribus colliquativis graviter illam deperditionem carniū augmentibus, reliquum γλωχρόν absummentibus, quò

& sub finem accedunt vires prorsus extinguentes alvi liquidioris fluxus ac diarrhoeæ; tumentibus quoque sub finem pedibus ac viscido sero ac vaporescente turgidis. Vires sensim absumuntur, & evanescunt insensibili graduum incremento vel potius decremento, ipse tandem decubitus fit molestissimus, dorsi infima atterens exulceransque, animus tener, facile irritabilis, tædio tot molestiarum fractus, hincque plerumque in iram pronus. Urina non eadem est, modò tinctior, modo pallidior, cum sedimento vel laterum æmulante farinam vel alius quoque coloris, vel putulentam offerente nec satis connexam suspensionem.

Quibusdam locis endemius quasi est hic affectus, vel si mavis ac contradictionem id secum non ferat, perpetuò quasi epidemius; uti de vastissima Londinensium urbe omnes agnoscunt, minari eam habitantibus in illa phthisin frequentissimè, quod quidem adscribitur fumis carbonum fossilium noxiis, qui etsi forsan soli causæ locum non teneant, ea tamen copia miasmata atmosphæram urbis amplissimæ inficiunt, ut & ingrato se satis manifestent odore, & ex altiore loco (Monumento v. g. quod vocant) urbem intuentibus aspectum ejus, spissa, quam formant, nube illi incumbentes, eripiunt. Juniores frequentius corripuntur phthisi, quam ætate provectiores, etsi quotidiana doceat praxis, ætatis cujuscunque homines ulcere pulmonum posse affici ac solere; maximè quorum calidius temperamentum ac fervidior est sanguis, tenerioresque pulmones, angusta præcordia, quibus & hæreditatis quadam labe à majoribus traditum quasi est malum, ut excutere id ipsis haud sit integrum, imò vix quandoque præcavere; quo & hypochondriaci, scorbutici, chloroticæ aliisque chronicis morbis obnoxii spectant; præter hæmoptysin enim præcedere eam solent varia è quibus pullulat corporis vitia, variolæ, morbilli, continuæ aliæ febres in eam tandem desinentes, pleuritis, hæmorrhoidum mensiumque & oppressio, & noxia abundantia atque excessus; catarrhi frequentes, & acriores; ineptius quandoque & incautius instituta salivatio Mercurialis, vulnera &c. Phthisis ergò propriè dicta atque ordinaria, ut sic loquamur, supponit præsentiam ulceris pulmonum, neque capimus quomodo aliqui prætendant, non cuivis promiscuè pulmonum ulcere conjungi phthisin, sed tali quod profundas egerit radices, absumatque ac depascatur substantiam pulmonis, cum sanè phthisis adesse meritò dicenda sit in quocunque pulmonum ulcere, sive depascente liberius vesiculosam ejus texturam, sive intra quosdam suis circumstantiis

tiis coercito limites ; neque dubium est, idem quoque malum ex ulceribus aliorum viscerum oriri, labe tamen plerumque ad pulmones quoque se extendente ; ubi enim est febris hectica, ibi supponimus ulcus internum visceris alicujus ; neque capimus, quod distinguant communiter inter phthisin, tabem, ariduram, atrophiam, marasimum, hecticam, non nunquam capimus quî dici possit, aliud esse hecticam, aliud phthisin, cum propriè loquendo alia febris hectica non sit, quam febris illa phthisi seu ulceri conjuncta illique adscribenda unicè ; à qua quidem hectica febris lenta tabifica febris, ubi sine ulcere consumitur corpus, admodum diversa est ; Tabes tamen vera & universalis sine lenta febre nulla facilè fuerit reperta, quæ tamen hic latius haud libet diducere.

Undecunque igitur colligatur in pulmonum substantia vesiculosa acris humor, sive ibi stagnando suam acquirat acrimoniam, sive aliunde jam acrior affluerit, effususque sit ex vasculis, ipsa jam mora futurus acrior, si talis non fuerit antea, transit sanè, si non promptè vel tussi ejiciatur, vel in vasa resorbeat, in saniem, verumque pus, trahit partem quoque sinceram vesicularum pulmonalium tenerrimarum, eas corrumpit, aucto jam sensim sensimque & in pejus ruente ulcere, quod vel liberius vagatur, depascitque pulmones, vel suis circumscribitur limitibus pelliculisque coercentibus, unde diutius protrahitur malum, spem non rarò sanationis faciens in istis exacerbationum novarum, ac collectionum intervallis.

Qui ad has partes circulando allabatur sanguis, allabatur verò omnis ad pulmones, ac per eos transit inevitabili circulationis lege, inficitur labe eadem, sorbent passim quædam ruptorum exesorumque vasculorum aperta oscula aliquid illius puris, inferuntque id sanguini, quod fermenti instar corrumpit sensim totam massam vitalis fluidi, ut lymphæ ejus jam ultra ad nutritionem apta non sit, acribus quippe & putridis intimè tincta particulis, imò ut fervore suo, & appulsu febrili id quoque quod appositum olim fuerat gelatinosi absumat, maciem sic inducat corpori ad habitum usque sceletiformem, juvantibus sudoribus colliquativis, ex acri illa impuris, sanguinis fusione ac colliquatione eò promptius succedentibus ac diffluentibus quasi ægris misellis. Hinc summus ille tandem marasmus, ac consumptio terribilis non ægro tantum sed & aspectui adstantium tristissimo, viribus sensim absumptis, expectoratione jam unà cum viribus decrescente, neque enim vires thoraci corpusculoque exhausto
suppe-

suppetant ad extorquendum, exantlandumque ex profundo pus, unde sensim plerumque obdormiscunt satis placidè etsi lentè

Cadaverum sectione variam monstrante pulmonum læsionem, nunc utriusque lobi nunc unius tantum, suppurationem, exulcerationem, durities, tubercula, junctas vomicas, absorptionem & imminutionem quandoque pulmonum, quæ exiccatio magis videatur, & ineptitudo ad inflationem, ob coalitas quasi sub exulceratione vesiculas; est ubi pus spissius comparuerit, alias sanie ichorosa aut tenuiore reperta, adnatis vel liberis magis pulmonum lobis, nunc æquabiliter corruptis, nunc fistulis quasi ac sinibus distinctis; junctis sæpe vitiis hepatis, ac renum, vel similibus vel analogis tamen, ac connexis.

In principio forsan facilius ægro succurres, imò in principii principio, si enim malum jam ad liberiolem & dominantem pervenerit exulcerationem, parum efficies; exceptis casibus, ubi suis putredo limitibus coeretur, nec vagatur liberè. Cautissimè tamen omnia agenda sunt. Purgantia semper suspecta, emetica ob motum & agitationem planè periculosa ac noxia sunt. Nec venæsectio habet locum, nisi hæmoptysis in principio eam postulet. Vinum nocet cum primis & calore & acore. Acidulæ ipsi sunt fatales æquè ac thermæ, omniaque acria. Conveniunt blanda, mucilaginosæ, pectoralia, antifebrilia (hinc magnam toties vidimus in principii laudem promeritum corticem peruvianum cautè adhibitum; neque ignoramus aliorum oblocutiones ac dubia, sed cum attentione hæc scribimus, certique de experientia non fallaci (abstergentia, vulneraria mitia, consolidantia, expectorantia, cordialia, reficientia, gelatinosa, mucilaginosæ moderata, refrigerantia temperata; exactam quis non commendet tam gravi in malo diætam; hæc enim, si malum non sit nimis vagum, liberumque in molli ista pulmonum textura, sed quosdam habeat limites, (uti in vomicis, & dispositionibus analogis) ægrum ad plures sæpe conservat feliciter annos. Et sic quidem concilianda sunt, quæ passim contradictoria dici in Scriptoribus medicis deprehenduntur, aliis phthisin pronunciantibus incurabilem, aliis è contra asserentibus, plurimorum se procurasse medendo salutem. Scilicet & hic distinguenda sunt tempora, felix ille Medicus, qui in principio non phthiseos formatae sed formandæ adhuc vocatur, sed & magna tum ipse indigebit perspicacia, ut quod è longinquo minatur malum probè perspiciat, agnoscatque ex indiciis suis adhuc multa caligine tectis; sæpissimè quidem moneri

quidem moneri Medicum novimus ab Hæmoptysi ingruente, hac enim semel conspecta de phthisi non poteris non esse anxius subsequente; in tempore igitur venire omnium rerum primum est. Nisi ut supra diximus, malum magis coerceatur intra cancellos quosdam variis naturæ ac providentiæ potius beneficiis, ut tam liberè ac citato gradu sævire non possit. Et in illis quidem casibus multum relinquitur prudenti Medico, multumque naturæ, is poterit esse utilis juvandæ ac dirigendæ in tam feroci hoste amoliendo, remorandoque.

Huc ergò etiam trahenda sunt quæ traduntur passim de tuberculis pulmonum crudis, seu talibus quæ in pulmone excrescunt, colligunturque tumoribus minoribus, qui & respirationem variè lædunt, & lentæ febræ præbere possunt ansam, lentamque etiam fovere exulcerationem ac putredinem, quin & ab ea oriri queunt, phthisin facilè foventes diuturnam ac lentam valdeque absconditam sæpe ac diu latentem; cruda autem dicuntur illa tubercula, quamdiu non ad suppurationem abeunt, nec pus continent coctum. Dicunt quidem quod hæc tubercula plane non, vel difficulter suppurentur, sed nusquam tuta fides, non semper ita quiescunt, nec eadem constant materia, reperta quippe non saltem sebacea, tophacea, argillofa quasi, tartarea, aut calculosa, neque etiam solum polyposa, sed talia quoque quæ ex vomica pulmonum fuere relicta, quæ quandoque quiescentia ac scirrhosam nacta indolem, in aliis denuò possunt repleri novo pure, novo abscessu, prout cum vasis cohærent, nectuntur, & cavitate pollent, vel vicinia ad id apta, accedente cum primis occasione excitante novoque stimulo provocante novam inflammationem & exulcerationem, quo tamen casu è statu crudi tuberculi transit in statum vomicæ, quod etiam poterit contingere tuberculis quæ antea vomicæ non fuerunt.

Nollem verò cum polypis confundere tubercula, neque existimem cum nonnullis, tubercula etiam sub se posse complecti polypos, modò à pulmonibus in cor, modo ab hoc ad pulmones transferendos; polypi enim intra vasa subsistunt, extra illa potius crudum tuberculum, sive enim in vesiculas quasdam effundatur concreescens humor, aut sebum quoque aut tartarus, aut in aliquem bronchii ramum ibique induratus constituat accretione sua tuberculum, semper tamen erit extra sanguinea vasa, multumque distinctus à polypo; quem cætera nec pulmonum vasis negare animus est.

Cæterum agnoscendum est tuberculorum crudorum diagnosin haud esse adeò facilem, ea enim post mortem in cadavere detegere, ægro viventi eique miserè laboranti non amplius proderit. Nec diffitemur signa passim descripta, non satis constringi ad hunc affectum specialem; quod enim dicitur pulsus in his ægris, cætera satis adhuc sanis constanter esse intercurrentem, parvum, debilem, inæqualem, id quidem aliud non denotat, quam adesse aliquod impedimentum quod æquabilem sanguinis distributionem, cordisque motum infringat, quod sanè poterit esse polypus, obstructio varia in vasis, eorum induratio, aliaque mala occulta, aptiora ad hoc cudendum pulsus vitium, quam quidem cruda pulmonum tubercula, vix enim quidquam obstare videtur, quò minus possint esse cruda in pulmone tubercula, ita tamen ut pulsus inde inæqualis non fiat, nec debilis, nec intercurrentis (quamquam & hæc loquendi ratio sit haud satis clara) nec parvus; modo enim considerentur illa tubercula tanquam cruda, & non occupantia nisi partem exiguam magis vesiculosæ pulmonum substantiæ, non video qui illis tantam in pulsu mutationem liceat adscribere, quam nec adesse præsentibus tuberculis existimo, saltem ab iis non pendere, possunt enim simul alia & graviora circa cor hæere obstacula.

Id propius tangit scopum, quod addunt authores, non statim in talibus adverti febrim, neque mox ferociorem esse tussim, etsi jam respiratio patiatur impedimenta, vesiculis non ita universaliter ac liberè expansis, quæ respiratio fit sensim difficilior, citatior, molesto facto corporis decubitu, Tussi interim quoque aucta, sed sicca, & tabescentia corporis sensim quoque magis aperta, feбри quoque dein manifestiori. Quamquam ut dictum possit quoque jungi dispositio circa cor polyposa, quæ tamen cum tuberculis non est confundenda, neque enim semper simul adsunt aut conjunguntur. Cæterum externæ quoque violentiæ, vulnera, morbi varii, catarrhi, aliaque occasionem his malis possunt præbere. Pectoralia autem, aperientia, expectorantia dicta, discutientia, blandiora antiasthmatica atque aperientia proderunt, ac cum diæta exacta, ac prudenter nutriente conservabunt diutius ægrum, ne in plenam præceps ruat phthisin. &c.

Et quid dicemus igitur de pulmonum vomica, quæ forsan non raro ipsum constituit tuberculum, quamdiu adhuc cruda est, pure non referta; nec obstat quod alias tuberculum dicant oriri posse ex vomica rupta,

pta, siccata, tandemque induritiem quasi scirrhosam densata, neque enim video quid obstet, quo minus eadem vomica bis constituat tuberculum, scilicet & in statu suæ cruditatis atque immaturitatis, ac rursus in statu exsiccationis suæ post suppurationem atque indurationem.

Respirationem vomica reddit difficiliorem, habetque & alia phthiseos signa, cum vel sine dolore circa thoracem, tussis urget quoque, sed sicca diu, cum febre tamen lenta, ac lentiore quidem quàm in phthisi liberius depascente pulmonum substantiam; at verò sensim se manifestat aperta vomica sputo purulento; unde haberi vomica laborantem sæpe pro phthisico ajunt scriptores Medici; existimem verò omni jure ita dici, taliterque affectum esse verè phthisicum, ita ut phthisis & pulmonum vomica suppurata unum sit idemque, nisi quod ipsæ hæ phthises differant decursu suo ac duratione, aperta illa celerius per sua stadia decurrente, hac verò conclusa sæpe per periodos, novasque puris collectiones tandem tamen tendente ad eundem fatalem terminum viribus exhaustis, absumentisque carnibus, imo omni nutritio humore.

Sive jam præcesserit læsio pulmonum externa, à casu, à contusione, sive intrinsecus colligatur sanguis, aut alius humor in bronchiorum ramis, ac vesiculis potissimum ibique condensatus transeat in tuberculum, sensim dein augendum, dataque occasione ad maturitatem ac suppurationem, quamvis lentè sæpe, perducendum, & tum potissimum lenta febris increfcit seseque manifestat acrius; unde etiam fit quod quidam sollicitè distinguant phthisin à vomica eamque dicant affectum medium inter pleuritidem & phthisin, quia in his suppurationum sæpe etiam iteratarum paroxysmis quandam pleuritidis speciem refert, ac à nonnullis tum pro tali habetur: in se tamen extra acutiores has exacerbationes veræ phthiseos retinens indolem, etsi tardius ad suum terminum decurrentis, ac plus spei, solatiique relinquentis ægro; cum phthisis sit ulcus apertum, citius serpens, ac depascens pulmones, vomica autem ulcus folliculo suo (ex vesiculis pulmonum dilatatis, incrassatisque formato, ac constante) conclusum, ac quoad exacerbationes transitorium, atque adeò quoque passim curatum, etsi rarò constanti sanatione, & ad multam durante ætatem, in constanti magis valetudine plerumque sequente; unde & distinguendum foret inter vomicam simplici-

ter exortam , & inter eam quæ aliquoties jam recruduit pro diverso pulmonum, glandularum quoque ejus, ac febris adjunctæ statu.

In quibusdam vomicarum etiam apertiones hæmoptysin mentiuntur, sanguinea sanie rejecta quandoque, in aliis tamen purulenta egeruntur sputa, apertâ vomicâ; diu sæpe durant istæ vomicarum recrudescentiæ seu vicissitudines, aut novarum productiones, ægrisque conservant, vel relinquunt potius tantisper vitam, sæpe & satis citò jugulant ægrum suffocantque, ampliori existente vomica, ac celerius ad phthiseos ἀκμὴν evecta; quamvis & sint observatæ metastases rariores puris ex vomica ad alvum, nec tamen id cuivis licet sperare, licet non desint, ut supra monitum, qui periculum evadentes, diu supersint, felici ac plena expectoratione adjuti, ac remediis pectoralibus, vulnerariis, humectantibus, gelatinosis, blandam lympham restituentibus, consolidantibus, confortantibus; anodyna verò non nisi cautissimè adhibenda censeo.



EGregiè curare doces præcordia. Ubivis
Hanc serva methodum. Prospera Praxis erit.

Nob. & Clar. Dn. Candidato Respondenti,
Auditori hæctenus suo perindustrio,
gratulabundus pos.

Alexander Camerarius. D.
Facult. Med. h. t. Decanus.

